Lane Medical Library

DE

PERICULIS,

UAE E SECTIONE CAESAREA PUERPERIS CONTINGUNT.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

G. BERNH. MAUR. BOBERTAG,

GLOGAVIAE-SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

H. GRIMM, MED. ET CHIR. DR.,
L. NISLE, MED. ET CHIR. DR.,
J. BRUBERGER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO,

CAR. ALEX. FERD. KLUGE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS REI MEDICAE, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS, QUOD EJUS AUSPICIIS FLORET, DIRECTORI,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,

CUJUS SCHOLIS TAM CHIRURGICIS, QUAM DE ARTE OBSTETRICIA PLURIMUM DEBET,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAVIT

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

Lustro, quo Berolini literis medicis studebam, n hac urbe sectio caesarea bis peracta est, anno MDCCCXXV ab Illustr. *de Graefe*, anno autem MDCCCXXVII ab Illustr. *Kluge*, quorum uterque mihi erat praeceptor maxime venerandus. Illustr. *de Graefe* operationem suam in libro de hac edito praeclaro [1]) jam descripsit. Quod, cum, mense Augusto a. c. munere fungens chirurgi inferioris in nosocomii caritatis instituto obstetricio, Illustr. *Klugium* hysterotomiam perficientem ipse viderem et puerperam usque ad mortem diligentius observarem, occasionem mihi praebuit, alterum cum altero casu comparandi. Maximam in-

1) Ueber Minderung der Gefahren beim Kaiserschnitt. Berlin 1826.

veni inter eos similitudinem, tamen alius eventum prosperum, alius miserum. Pericula ab Illustr. *de Graefe* remota, quae puellam ab Illustr. *Kluge* curatam interfecerant, diligentius perscrutatus, tantum eorum interesse censui, ut de iis, quae in universum e sectione caesarea puerperis contingant, dissertationem, mox edendam, inauguralem conscribere mihi proponerem.

Quae Illustr. *de Graefe* de hac re egregie jamjam scripsit [1]), primum de praegnantium et puerperarum in universum, deinde de peculiari valetudine earum, quae hysterotomia partum edere coactae sunt, verba faciens probare conatus sum. Denique operationis ipsius et sequentis morbi a me observati, Illustr. *Kluge* suadente, historiam retuli, quippe vera a me esse prolata, probantem.

PARS PRIOR.

DE PECULIARI PARTURIENTIUM ET PUERPERARUM VITA IN UNIVERSUM.

Graviditatis cum priores periodi, tum ultima proprio nodo in corpus foemineum agunt. Systema enim organorum, quod antea, si ad ceteras organismi partes referas, semper minoris momenti exstiterat, per novem menses magis magisque progreditur, praeparando scilicet germen hucusque alte conditum ad propriam vitam gendam.

Congestionibus hucusque certo quodam typo versus genitalia organa regressis et brevi tempore critica quasi anguinis evacuatione finitis, jam uteri arctius cum aliis organis conjuncti dignior functio per longum tempus lurat, per plures menses accrescit. Ut novi quiddam gignat, materiae et virium plus desideratur atque corpori detrahitur, neque nova haecce detractio tam matri, quam foetui detrimento sit, alimentorum major copia nducitur, unde foeminae gravidae, bene valentes, semper najori ciborum appetitu gaudent. Ut brevius dicam — eproductio a primo inde graviditatis tempore ad summum pedetentim crescens, unum quidem praepri[illegible]is, neque tamen solum organorum systema petit. U[illegible]de satis pparet, ceteras etiam functiones corporis gen[illegible]les — rr[illegible]tabilitatem et sensibilitatem — per istam vitae periodu n mutari, et quidem augeri, ut harmonia omnium o[illegible]poris virium integra servetur. Quum autem vis reproductiva perdiu et primarie quidem fortiter agat, x lege quadam naturae, ceterae, ad illam relatae, minores se praebent.

Quod de toto organismo, de singulis etiam organis genitalibus dicendum: Uteri gravidi, plure nutrimentorum arrepto, fibrae antea vix semimusculares, ut ita dicam, hac periodo, quoad earum substantiam etiam mutatae, actione vere musculari gaudent, ad extremum usque finem sensim extensae, fortiter denique contrahuntur. Nervi autem, gangliis emissi, quae utero inserviunt, in somno quasi hucusque versati, iidem ad maximam actionem perducuntur. Huc vero accedit, quod utero magis dilatato cava abdominis et thoracis angustiora fiunt, quod cetera viscera eorumque nervi inde premuntur atque gangliorum, nec non totius nervorum systematis agendi natura mutatur. Quae quidem, pro gradu et natura mutata gangliorum sentiendi facultas antagonistice agit in systema cerebrale, unde sensuum organorum alienationes et mentis diminutae functiones in gravidis satis declarantur.

Si vero foetus maturuit, suis ipsius conaminibus, quibus excludatur, matrem in eundem finem jam satis aptam incitat. Turgor vitalis, fibrae uterinae vires et sentiendi facultas genitalibus hac periodo ad summum usque gradum adaucti, quibus totum corpus participat. Ne dicam de musculis vitae organicae, ut vocantur, qui quam maximas vires exhibent, ut onere jam nimio corpus liberetur — partes etiam, quibus, utero non gravido, musculi vitae anorganicae etiam dignitate praestant, nunc matris voluntati inserviunt.

Excluso autem foetu, uterus vehementer contrahitur. Vires foeminae tot tantisque laboribus in universum exhaustae, nervorum systema doloribus conquassantibus ad extremum usque finem exaltatum. Deinde pro naturae decursu, quo actiones, quae per longum tempus duraverant, nunquam subito tolluntur, genitalia organa in posterum etiam majori sanguinis affluxu, nec non majori gangliorum erethismo gaudent. Sensim sensimque tantummodo priorem dignitatem amittunt: majori san-

guinis copia in partu jam evacuata, puerperii tempore lochia excernuntur, eoque impeditur, quo minus nutrimenta in genitalibus organis nimis accumulentur. Derivando autem agunt urinae et faecium adauctae excretiones, et mammarum nova quasi functio [1]), in cujus originem totum vasorum systema reagere solet. Denique, ut nervi mitigentur, puerpera paullò post partum somno indiget eoque mox fruitur.

Quodsi illos naturae saluberrimos tam in partu, quam in puerperio effectus diligentius disquiramus, medicum eos servando tantummodo agere opus esse, satis apparet, ita quidem, ut res externas, quae normalem partus et puerperii decursum turbent, amoveat. Valde autem dolendum, quod causae morborum puerperalium occasionales et praedisponentes nostro tempore saepius occurrunt, medico observanti haud raro effugientes, quod bonae puerperarum valetudini abnormis graviditas, corporis jam praegressa hebetudo nec non vitia organica haud raro erant adversa.

Foeminae vires per se jam minimas, quae rebus externis, prioribus morbis, graviditate, vel etiam in partu jam oppressae sunt, caveas, ne ex toto consumantur, praesertim si hysteria et sentiendi facultas nimia accedant. Morbi enim viscerum abdominis inflammatorii, ad quos puerperas in genere admodum inclinare e supra dictis satis patet, cum nervorum affectibus et virium in universum imbecillitate complicati praecipue verendi, antiphlogisticis remediis cautim curandi. — Plethoricis contra et robustis, quae ad inflammationes vere activas vergunt, foeminis, vasa potius sanguifera, quam nervi nimis irritantur, atque antiphlogistica methodo fortiori indigent. Semper genitalium, et, quae iis proxima sunt, organorum princeps ratio habenda, quippe quae maxime

---

[1]) H. G. Grimm Diss. de Phlegmas. alb. dolentis patholog. Berol. 1826. pag. 18.

affecta modo nervorum morbis modo inflammationibus, sive meris, sive cum illis conjunctis causas praebent. Utrorumque autem complicationem cum totius corporis debilitate maximo esse damno, per se jam satis apparet.

PARS ALTERA.

DE PATURIENTIUM VALETUDINE, QUIBUS SECTIO CAESAREA IMMINET, ET QUAE EA PEPERERUNT.

Gravidas, sive infantibus jam rhachitis et scrophulae, sive adultis demum alii morbi chronici — veluti osteomalacia [1]) corpora destruxerant atque, ossibus arreptis, pelvim angustiorem reddiderant, quam, ut alio modo partum edant, hysterotomiae se subjicere coactas esse, constat. Quare debilibus, plerumque hystericis, male nutritis adnumerandae, quas solito etiam partu exhaustas ad morbos nervosos nec non asthenicos, maxime perniciosos inclinare supra probare conati sumus.

Reproductio ante graviditatem jam diminuta est, qua materia, nunc ad nutriendum foetum matris organismo detracta, non satis restituitur, virium et materiae plus consumitur, quam ingeritur. [2])

Alimenta, vel si plura, quam in statu foeminae non gravido, ingerantur, non satis concoquuntur.

Praegnantis, hysteria atque functionum genitalium perversitate laborantis, dolores ad partum multo difficiliorem vehementissimi propter nimiam pelvis angustiam diutius perseverant.

Quid? quod haecce partus diuturnitas nimia, inscio

---

[1]) Busch in Mende's Beobacht. und Bemerk. aus der Geburtshilfe. Tom. II. 1825.

Idem invenitur in Busch Geburtshilf. Abhandl. etc. Marburg 1826. Pag. 168. seq.

[2]) v. Siebold Lucine, Bd. IV.

medico, omnem modum haud raro excessit, qua foeminae ex toto fere exhaustae sunt. Plura hujusmodi exempla Meissner [1]) retulit. Neque animi affectus saepissime defuerunt, inter hos praecipue metus, ne diem obirent supremum, qui infelices illas parturientes foeminas etiam magis debilitarunt. Conquassantes autem dolores, congestio humorum versus genitalia per longius temporis spatium durans, uteri conamina foetum excludendi longius, sed frustra adhibita, organa illa ad summum usque excitarunt, et totum nervorum systema arripuerunt. — Quis igitur est chirurgorum, quin timeat, ne sectione caesarea tales foeminas interficiat, quae quidem, auctore Illustr. *de Graefe* [2]) una cum misera ista puerperarum valetudine erethismum, sic dictum nervorum abdominis inducit! Quod, si comparemus cum iis, quae supra de puerperarum dispositione in morbos, in genere, jam disseruimus, satis apparet, Illustr. *de Graefe* recte ita scribentem pergere: „durch welchen (scilicet Unterleibserethismus) Operirte, einerseits zur Entzündung, andererseits fast noch mehr zu nervösen Affekten überhaupt, und vorzugsweise zu nervöser Apoplexie, hinneigen."

Musculorum abdominis et quidem, ut solet, tendineae eorum partis incisio, et uteri, hac periodo dignitate prae ceteris organis excellentis, et turgor vitalis ibi valde adauctus causas certe afferre possent inflammationis mere sthenicae, nisi in universum jam vires diminutae essent, nisi natura excretiones fere novas, crisos sic dictas puerperales, induxisset, quarum effectus supra jam laudati sunt. Quam plurimorum auctorum, qui, metritidem in mortuis non invenisse, dixerint, vel tamen minimam, nonnullos tantummodo afferre liceat; *Henkel* [3]),

[1]) Meissner: Forschungen des neunzehnten Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshilfe etc. Leipzig 1826. Pars prior. pag. 246.

[2]) Graefe l. c. pag. 35.

[3]) Nov. act. natur. curios. Vol. V. obs. 31. pag. 96.

Schuetzer [1]), *Haas* [2]), *Klein* [3]), *Wiedemann* [4]), *Osiander* [5]), *de Siebold* [6]), *Berger* [7]), *Busch* [8]), *Weifsenborn.* [9])

Si vero inflammatio exorta est, erethica potius natura esse solebat, et, remediis antiphlogisticis fortiter adhibitis, mox in gangraenam abibat. Multo autem saepius hujusmodi puerperae statu ipso nervorum perverso [10]), subito nonnunquam interierunt. Erethismus enim nervorum abdominis, quem Illustr. *de Graefe* eximie descripsit, a majori genitalium actione, laesione, et functione perversa, hysterica mirum in modum exortus, ex antagonismo causa fit convulsionum, animi deliquii, alienationis mentis, quae omnia brevi tempore necant. Rarius per se jam foeminas vita privat. Maximum attige-

---

[1]) Abhdl. der Akad. der Wissenschaften zu Stockholm. Jahrgang 1768. pag. 242.: Bericht vom Kaiserschnitt, der an einer Zwerginn gemacht wurde.

[2]) Richter's Chirurg. Bibliothek, des 8. Bdes. 4. Stück, pag. 705. (Haas hic refert.: die Uteruswunde war etwas (?!) brandig.)

[3]) Loder's Journal für die Chirurgie Bd. II. St. 4. Klein's Geschichte eines unter den glücklichsten Umständen gemachten und dennoch unglücklich abgelaufenen Kaiserschnitts.

[4]) v. Siebold's Lucine Bd. I. pag. 378. seq.

[5]) Osiander Handb. d. Entbindungskunde Theil II. Abtheil. 2. Tuebingen 1821. pag. 343.

[6]) Ejusd. Journal für Geburtshilfe etc. Bd. I. St. 2. pag. 279.

[7]) v. Siebold's Journal etc. Bd. V. St. 1. pag. 142. seq.

[8]) l. c.

[9]) Progr. sist. Obs. duas de partu caesareo et quaest. huj. operat. moment. Erford. 1792. 4. pag. 56.

[10]) Rossetus: Von der Caesarischen Kindsgeburt, aus dem Franz. vom Doctore Melchiore Sebizio, Silesio. Strasburg 1583. pag. 113., jam dixit: matribus, quae sectione caesarea pepererint, syncopen et convulsiones evenire.

unt gradum ista pericula, si doloribus κατ' ἐξοχὴν sic ictis post partum vehementissimis, et colicis meteorismus, vomitus, obstructiones, ant alvi fluidae, retentio rinae, aut foetidae excretio, paralysis sphincterum ani [1]) t alia accedunt·

Nonne denique ex sublata illa harmonia inter actioes cervicis uteri ejusque fundi, ob nimiam pelvis anustiam et expansionem uteri partium inferiorum inde npeditam, dolores post partum caesareum modum saepe xcedant?

PERATIONIS A ME IPSO OBSERVATAE EJUSQUE EVENTUS HISTORIA.

Sophia Reperwitz, 23 annorum nata, die 28. Julii a. MDCCCXXVII. in nosocomium caritatis Berolinense recepta est.

A prima inde infantia in rebus angustissimis versatur. A matre satis paupera educata, scrophulis et achitide infans jam ita correpta est, ut corporis inementum valde impediretur ejusque forma maxime deucta inde evaderet. Morbo illo anglico imprimis verbrae lumborum, ossa pelvis et extremitates inferiores fectae sunt, de quibus infra. Anno aetatis decimo sexto olimina menstrualia, gravissima, denique fluxus ipse trarunt neque vis stimulos recipiendi adaucta defuit. Per ures vitae annos suendi negotio assidebat, id, quod ellae hystericae, imbecilli, certe haud exiguum damm dedit. Menstrua ex regula post quatuor hebdomam intervalla regrediebantur, usquedum anno aetatis gesimo altero, viro coiens, primis, si recte dixit, diebus Novembris anni praeteriti gravida facta est. Menses, i paulo ante fluxerant, non regressi sunt. Molestiis,

---

[1]) Hunter, Bemerkungen über Zertheilung der Schambeine, 24. Aus dem Engl. Lpz. 1779. 8.

quae gravidis ingredi solent, vexata, m. Aprilis a. c. initio foetus motus primum se sensisse dixit.

Die, quo in nosocomium recepta est, hae fere corporis ejusque valetudinis rationes inventae sunt:

1) Totius corporis longitudo 3 ped. et 9 pollic.

2) Brachia et manus ad illam relata perlonga.

3) Alter cum altero humero et altera cum altera coxa pari altitudine erant; illi ped. 1, spinae autem corum anteriores, superiores 9¾ pollic. inter se distiterunt.

4) Symphysis ossium pubis latus externum 5¾ pollic. a fossa infra spinam vertebrae lumbalis infimae sita remota erat.

5) Apertura pelvis superior. *Klugii* instrumento mensa, ad 50 gradus inclinata erat.

6) Femora et crura diversimodo extrorsum et introrsum curvata.

7) Fundus uteri, durus, in scrobiculo cordis tactui obvenit.

Per vaginam autem angustissimam exploranti portio vaginalis uteri ¼ pollic. longitudine, orificium uteri rotundum, clausum erat, nec non antrorsum caput foetus mobile. Promontorium ita ad latus sinistrum, antrorsum curvatum apparuit, ut digiti indicis explorantis phalanges duae sufficerent, ad metiendum axem conjugatum, cujus 1½ pollic. longitudo inde dijudicari potuit.

Die 21. *Augusti. m.* Postquam puella pluries jam de doloribus questa erat, diebus 5, 12, 19 et aliis m. Augusti, qui autem colicos se manifestarunt, fundo uteri sensim usque ad umbilicum fere descendente, hodie, hora octava vespertina dolores in cruce certis intervallis fortiores regredi dixit. Portio vaginalis uteri fere evanuerat, orificium ejus aperiri exorsum est.

Die 22. *Aug.* Dolores per noctem et per totum hodiernum diem duraverant, orificio uteri parum aperto.

Die 23. *Aug.* Pars vaginalis uteri plane evanuit

rificio nondum magis dilatato. Dolores ad partum idem, vehementissimi.

Die 24. *Aug.* Noctu aquae per vaginam, minori opia, effluxerant ex orificio uteri ad nummi magnitudinem aperto, qui duorum grossorum apud Borussos abet pretium. Puella, viribus ex magna parte consumis, ex medico quaesivit auxilium. Quare *Ill. Kluge* ectionem caesaream opus esse probavit gravidae, quae nox ei consentiit.

OPERATIO.

Horae undecimae matutinae tertio quadrante gravida, faecibus et urina satis excretis, pectore et capite aulisper pronis tabulae imposita est, in qua cilicium acuit. *Ill. Kluge,* opus perfecturo, in dextro parturientis atere posito, locum adversum tenuit Clar. Dr. *Stumpf,* rinceps ejus minister. Alter et tertius pone illos positi ninistri spongiis marinis tribus permagnis, ad modum *Iedeni,* abdomini superimpositis, durante opere intestina etinuere. Denique aliis apparatui instrumentorum et igamentorum adstantibus ministris, *Ill. Kluge* coram nagno collegarum et discipulorum concilio operationem ali modo perfecit:

Laparotomia. Fundus uteri in medio abdomine, onico, paulo supra umbilico durum tactui obvenit. In neae albae quatuor et semis pollicum spatii antea defiiti, et spongiis ovaliter circumdati parte primum cutis t pinguedo, deinde cultro, acie convexa praedito, tenines sensim incisi sunt. Tum vulnus, inde exortum, pe cultri capitati, supra digito indice sinistrae manus bdomini immisso, deorsum ita dilatatum est, ut finis ju superior unum pollicem ab umbilico, inferior $1\frac{1}{2}$ a ymphysi ossium pubis distaret.

Uteri incisio. Uterus splendido peritonaeo obtectus ox plagae intravit. Cujus parietis anterioris fibrae inde angulo vulneris externi superiori $2\frac{1}{2}$ pollic. longitu-

dine deorsum ita incisae sunt, ut plagae orae priores posticis longiores essent. Jam ovi membranae apparuerunt. Deinde Illustr. *Kluge*, ministrum novi vulneris angulo inferiori digitum indicem immittere, eoque uterum ita deorsum trahere jussit, ut angulus vulnéris uterini inferior infra finem externi locum teneret. Quo facto, incisionem illam supra digito suo indice sinistro iterum immisso perrexit, quantum quoad vulnus externum licuit. Denique minister instrumentum *Sieboldianum* ori uteri ingessit eoque ovi membranas laesit, ut aquae superstites effluerent.

PARTUS INFANTIS IPSE.

Jam ovi partibus, quae vulneri insitae erant, disruptis, infans expeditus est. Brachium dextrum jam per se e vulnere prolapsum est. Primum pedes, ad dextrum matris latus positi, arrepti sunt, quos coxae ita secutae sunt, ut sinistra e superiori, dextra ex inferiori plagae angulo progrediretur. Tum ceterae trunci partes et brachium sinistrum protracta sunt. Postremo collum et caput, facie deorsum, occipite sursum versis, facile expedita sunt.

Ecce! Caesarem, puerum optime valentem, maturum et omnibus partibus bene formatum, clara voce clamantem! —

Totius corporis pondus erat 8 libr., longitudo 18 pollic; humeri 4½ pollic.; coxae 3½ pollic., altera ab altera, distiterunt. Diametros capitis diagonalis 5, longitudinalis 4 pollic.; transversalis 3 pollic., et perpendicularis 2¾ *).

Funiculo umbilicali ligato et persecto, secundinae eadem viâ evolutae sunt. Placenta, quae dextro lateri fundi

*) Omnes has in dissertatione allatas mensuras ad modum Parisiensium didicimus.

ndi uteri adhaeserat, jam soluta, manum obstetricem cillime secuta est.

Denique coagulum sanguinis ex uteri cavo remom est. — Intestina semper, vel ipso illo tempore, 10 uterus, foetu egresso, vehementer contractus est, tinebantur.

VULNERIS VINCTURA.

Vulnus musculorum abdominis ad 3½ pollices jam ninutum primum ope gastroraphes clausum est. Vinla scilicet quatuor e filis sericis quatuor, ceratis parata nt et acubus fortioribus incurvatis innexa, cruenta vulris oris imposita sunt, ita tamen, ut peritonaeum idem nplecterentur et alterum ab altero pollicis tres quantes remota essent. Interstitia illa octo emplastris aaesivis latis obtecta sunt, quorum fundus dorso incut. Finis autem plagae inferior, erat apertus, ex quo nores uteri ejusque vulneris possent effluere. Linteum ptum tantummodo, unguento simplice illitum, ei intum est.

Totum opus viginti minutarum temporis spatio perum est; sanguinis parum amisit puella, quae satis em se habebat, doloribus non ita gravissimis.

PUERPERIUM.

Hora post operationem peractam praeterlapsa, puera de doloribus questa est levioribus, vulnus occutibus, et de siti. Aqua ei porrecta est subcalida cum haro. Hora altera postmeridiana, pectus et cervices mo affectas esse dixit. Quum rheumatismo potius ore putarent medici, lintëis calefactis collum et cers circumdederunt. Sed frustra. Convulsiones illae ae cum spasmis conjunctae sunt musculorum colli pectoris, denique etiam risu sardonio, quos aegra, se u ferre non posse, clara voce exclamavit. Pulsus multo frequentiores, 120 per minutam, duriusculi,

neque vulneris dolores plane defuere. Qui omnes labores neque Aquae laurocerasi guttis decem porrectis, neque clysmati, ex Infusi hb. belladon. e gr. x parati ℥jj, cesserunt. Quare e secta vena decem sanguinis unciae emissae sunt; quo facto, et iterum iterumque narcoticis frigidis adhibitis, convulsiones illae pro tempore evanuerunt. — Hora sexta ejusdem diei vespertina e parte vulneris inferiori sanguinis exigua copia effluxerat. Remoto autem linteo carpto ei injecto, Illustr. *Kluge* regionem hypogastricam leniter premens et ab aegrota ipsa alte inspirante adjutus libram fere sanguinis venosi egessit. Tum puella in alium lectulum cautim translata per plures horas quiescens rarius in somno leniori doloribus cervicum et extremitatum convulsionibus, turbata est.

Die 25. *Aug. m.* Sub mediam noctem et horis matutinis pluries vomituritionibus et vomitu ipso vexata est, quo potus fere integer — cremor avenacaus tenuior — excretus est; puerperae, somno subito excussae, convulsiones colli et extremitatum saepius regressae sunt. Pulsus noctu valde mutabiles, in universum pleni, et duriusculi, mane paullo rariores.

Hodie, matutino tempore, facies et gestus aegrotae hilares se praebuerunt.

Lochia jam e vulnere et vagina effluxerant, sed urina retenta ope catheteris demum excreta est, subrubicunda. Alvi autem obstructiones clysmatibus non cesserunt. Hodie viridis, fluida, amara materia vomitu emissa est. Vespere febris major exacerbatio, et periodici illi dolores vehementiores, minime certo quodam loco fixi, neque inflammatorii, iis, qui post partum evenire solent, simillimi, brevi somno interrupti. Pulsus 130 per minutam, fere pleni, duriusculi.

Hora octava vespertina catheter iterum applicandus, inde excretio urinae fuscae, sedimentosae.

Puerpera, quin gravissimum morbum ferret, dubi-

avit. Fere somniens noctu sudore leniter calido obtecta est. Narcotica hucusque priori modo porrecta erant. Obstructio alvi eadem.

Die 26. Aug. m.

Noctu meteorismus exorsus est, auctis simul doloribus colicis atque spasticis. Lochia adhuc effluxerant, nec non urina, nullo adhibito cathetere, excreta est. Febris remittebat. Alvo ope clysmatum pluries ducta, fluida tantummodo excreta sunt, minime tamen faeces. Quare olei ricini, quantum duo cochlearia parva continent, cum infuso chamomillae porrectum est. Mammae laxae, quamquam infans iis impositus est, nihil lactis continuerunt, nihil excreverunt.

Horis postmeridianis tanta animi et corporis anxietas, tanti dolores colici et tantus meteoriums regressi sunt, ut aegrota emplastra, quippe abdomen late extensum nimis premerent, solvi juberet. Quapropter emplastrorum fundus in dorso incumbens perscissus est. Quod ei autem non ita maximum adjumentum attulit; nullo enim post iidem labores regressi sunt, meteorismo adaucto. Pulsus vespere 140 per minutam numerati sunt. Olei ricini usum continuatum et clysma ex infuso chamomillae cum Natri sulphurici ʒjj positum faecum excretio secuta est. Superiori abdominis parti panni lanei calefacti et spiritu mastichis, angelicae et camphorato perspersi, impositi sunt.

Die 27. Aug.

Noctu iterum sudores calidi excreti sunt. Nausea et emesis saepius intrarunt. Meteorismus mane minor. Febris minus remittebat. Dolores colici et post partum sic dicti, rariores et minores. E vulnere serum fere foetidum et malo odore profluxit.

Vespere febris fere enormis. Pulsus frequentiae causa vix dijudicandi. Hora sexta respiratio subito ita oppressa est, ut mors suffocatoria immineret.

Meteorismo crescente, ructus et flatus, et urina pes-

simo odore, evacuati sunt. Clysma positum est ex infuso carvi cum natro sulphurico.

Die 28. *Aug.*

Vomitu et aliis pessimi ominis symptomatibus morbi per noctem saepius regressis, puella mane ex toto fere exhausta erat. Vires fere subito collapsae sunt; facies hippocratica. Medicamina:

Rec. Aq. menth. pipt. ℥jjjß
Tinct. thebaic. gutt. x
Spirit. sulphc. aether. ʒj
Syrupi simpl. ℥ß
M.

frustra adhibita sunt. Deliria blanda, subsultus tendinum, carphologia, denique pulmonum paralysis perfecta ultimum morbi stadium probarunt.

Puerpera hora nona matutina, quatuor fere diebus post sectionem caesaream peractam praeterlapsis, defuncta est. —

Cadaveris sectione nihil inflammationis, nihil gangraenae neque tractus intestinorum, neque peritonaei, neque uteri, neque alius cujusdam organi detectum est. Vulneris externi orae nondum inter se adhaeserunt, neque uteri, qui ad duorum pugnorum magnitudinem contractus erat. Pulmones, normali structura, parum sanguinis continuerunt.

EPICRISIS.

Omnes erethismi nervorum causas supra allatas in puerperam nostram influxisse anamnesis probat. Hysterotomia ipsa, quae viginti minutis peracta est cum nullis omnino conjuncta erat rebus adversis. Illustr. *Kluge* satis apte et celeriter eam perfecit, foetum et placentam jam solutam facillime et brevi tempore expediit. Intestinorum prolapsus defuere. Colica et vomitus du-

ante operatione, ut prius saepe [1]), non observati sunt. ;anguinis detrimentum exiguum. Nihilominus periculis b Illustr. *de Graefe* relatis quam maximis post parum interiit puella.

Primum, paullo post operationem peractam, signa tatus illius, quem Illustr. *de Graefe*; „den Mittelstand es Unterleibserethismus" [2]) vocat, observata sunt: pulus frequentiores, nondum duri, dolores post partum et olici, nec non vulneris, post plures autem horas colli t cervicum convulsiones. Brevi autem tempore omnia ıta phaenomena adaucta, pulsuum durities, anxietas, arcotica frigida frustra adhibita stadium significarunt, uod Illustr. *de Graefe*: „Unterleibserethismus bei beorstehender entzündlicher Aufregung" nominat. Postea robatum est, quod idem praeclare contendit, venae secone symptomata mox evanescere, narcotica frigida auem majori commodo postea porrigenda. Tamen erenismus ille nervorum abdominis, medium quidem teens, adhuc perduravit. Postero die, cum febris remitteet, dolores partim evanescerent, narcoticorum usus ex lustr. *de Graefii* methodo diminutus est, vespere auem, cum illi regrederentur, repetitus. Altera vero nocte mptomata ingressa sunt, quae Illustr. *de Graefe*: „den nterleibserethismus bei bevorstehender nervöser Erschöpung" probare dicit: Meteorismus, vomiturítiones, voıitus ipsi crebriores, alvus fluida, urina foedalis — anetas summa; denique collapsus virium, facies hippoatica, asphyxia — mors! — Crises puerperales ex arte evenerunt.

Cadavere secto, edocti sumus, dolores vivae puerere minime inflammatorios fuisse.

---

[1]) Cf. *Mursinna*: Journ. f. die Chirurg. u. Arzneikde. etc. ıg. 264.

[2]) l. c.

Tandem denique, si quaeramus, cur Illustr. *de Graefii* curandi methodus non saluti fuerit puerperae nostrae, cum ea Illustr. *de Graefii* comparatae, magis in nervorum affectus inclinasse videtur et majoribus laboravit. Lordosis lumborum magis perniciosa, conjugatus axis minor, quo uteri cervix magis impeditus est, quo minus satis expanderetur. Denique crises puerperales curandi methodo magis restiterunt.

Haec quidem hactenus!

VITA,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

'go, *Augustus Bernhardus Mauritius Bobertag*, die VIII. m. aji anni MDCCCIV. Glogaviae magnae, Silesiae inferioris op- do, patre tum temporis Verbi Divini apud milites ministro, nc vero dioeceseos Haynaviensis Superintendente, matre e nte Ludoviciana, natus, confessioni evangelicae addictus sum. iatuor hebdomades agens cum parentibus Straupitiam, pagum ope Lignitium situm, profectus ibi usque ad tertium vitae an- m commoratus sum. Deinde Lobendaviam, prope Lignitium, trem, ibi concionatoris munera suscipientem, secutus sum. Us- e ad decimum quartum vitae annum ibi versatus, literarum mordiis a patre optimo ita imbutus sum, ut anno MDCCCXVIII. ademiae Regiae Equestris Lignitiensis discipulorum alteri classi criberer. Ibi Directoris et Professoris, Viri Clar. Dr. *Becheri Raupachii, Frankii, Schultzii, Keilii* et aliorum virorum clar. olis, tam in altera, quam in prima discipulorum classi per adriennium interfui. Tum Berolinum a. MDCCCXXII me con- , ubi mense Octobre Instituti regii medico-chirurgici Fride- o-Guilelmiani civibus adscriberer. Hic per quadriennium hisce erfui summorum virorum lectionibus:

Cel. *Wolff* de logice et psychologia disserentem audivi. De thodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis hu- ni universa, de anatomia organorum sensuum Illustr. *Rudol-* , de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. *Knape* erfui. Eodem et Illustr. *Rudolphi* in arte cadavera rite secandi praeceptoribus gavisus sum. Historiam naturalem uni- sam et botanicen Illustr. *Link*, zoologiam Illustr. *Lichtenstein*, sque partem de entozois Illustr. *Rudolphi*; physicen, chemiam harmaciam Cel. *Turte*, Illustr. *Erman* et Illustr. *Hermbstaedt*; graphiam universam Illustr. *Ritter* mihi tradiderunt. Physio- iam Illustr. *Rudolphi*, Cel. *Eck* et Illustr. *Horckel*, naturae lo ophiam Illustr. *Hegel* me docuerunt. Neque Illustr. *Ru- phi* de anatomia comparata et pathologica scholis defui. Patholo- generalis, semiotices Illustr. *Frid. Hufeland*, therapiae tam eralis quam specialis Illustr. Illustr. *W.* et *Frid. Hufeland*, hologiae specialis et de morbis mentis nec non syphiliticis trinae Illustr, *Horn* praeceptores fuerunt. Pharmacologiam

Illustr. *Link*, materiam medicam Illustr. *Osann*, idem balneotechnicen; artem formulas medicas concinnandi Illustr. *Knape* et Cel. *Casper* mihi tradiderunt. Artis fascias rite imponendi chirurgiae generalis, artis obstetriciae et doctrinae de ossibus fractis et luxatis cognitionem Illustr. *Kluge*, chirurgiae specialis Illustr. *Rust*, et akiurgiae Illustr. Illustr. triumviris *Graefe*, *Rust* et *Kluge* debeo. Celsi libros Cel. *Hecker*, et Hippocratis Aphorismos Beat. *Behrends* mihi interpretati sunt. Medicinam forensem Illustr. *Knape* mihi tradidit. In clinicis autem medicis et chirurgicis Illustr. Illustr. *W. Hufeland*, *Neumann*, *Rust* et *Graefe* exercitatus sum.

Studiorum cursu peracto in nosodochio caritatis Berolinensi per annum munere medico-chirurgi inferioris functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine Berolinensi rite absolutis, spero, fore, ut, dissertatione conscripta et publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

Quo facto, Lignitium regredi jussus sum, ubi medico-chirurgi apud milites inferioris munera suscipiam.

THESES DEFENDENDAE.

1) *Quae sectione caesarea partum ediderunt, in ipsa eam sequente inflammatione antiphlogisticis remediis cautissime curandae sunt.*

2) *Reproductio in gravidis adaucta est.*

3) *Partus praematurus, etiam per axem conjugatum sic dictum externum 6¾ pollic., arte efficiendus.*

4) *Vaccinatio tempore, quo infantes variolarum infectioni jam expositi sunt, rejicienda.*

5) *Condylomata acuminata parasites, condylomata lata exanthema sunt.*

6) *Inflammatio asthenica omnino statuenda.*

7) *Dyscrasiae cum aliis complicatae diagnosis ex ulceribus vana.*

8) *Quo melior valetudo, eo in plures morbos propendit.*